

**Oratio in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensis, ex Harveii  
instituto, habita, die Octob. XVIII, an. M.DCCC.VI / a Christo. Robo.  
Pemberton.**

**Contributors**

Pemberton, Christopher Robert, 1765-1822.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Londini : Typis Gul. Bulmer, venuent G. et W. Nicol, 1807.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cr43vs4a>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

18.

O R A T I O  
IN  
T H E A T R O  
C O L L E G I I   R E G A L I S   M E D I C O R U M  
L O N D I N E N S I S ,

EX  
HARVEII I N S T I T U T O ,

HABITA ;

DIE OCTOB. XVIII, AN. M.DCCC.VI.

A

*CHRIST<sup>o</sup>. ROB<sup>o</sup>. PEMBERTON, M. D.*

PRINCIPI WALLIÆ MEDICO EXTRAORDINARIO, COLL. REG. MED. LOND.

ET REG. SOC. SOCIO.

LONDINI :

TYPIS GUL. BULMER ET SOC.

VENEUNT APUD G. ET W. NICOL, PALL-MALL.

1807.

# О И Т А Я О

олиу орбетатээз

о я та и т  
оутзаха та мадчах экзах  
милодим газахая тюлд  
згэвжжийн

зийгүйчиж зургуз

и я бутай та ки ахын

тэвээжийн  
ацам на дих мэдээ

и эй оитай о илн

Ахи монголын зорь хувь

о бодлын боли цэвэртэвээхийн  
мийн тээвэртээхийн

ялд

таким

и ойланын чой тааны

зог тээвэртээхийн

и ойланын чой тааны

1802

SPECTATISSIMO VIRO  
*LUCAS PEPPYS, M. D. BARONETTO,*  
P R A E S I D I,  
SOCIISQUE ORNATISSIMIS,  
*COLLEGII REGALIS MEDICORUM*  
LONDINENSIS,  
H A N C   O R A T I O N E M  
IPSORUM HORTATU IN PUBLICUM EMISSAM  
EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,  
D. D. D.  
*CHRIST<sup>s.</sup> ROB<sup>s.</sup> PEMBERTON.*

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22393444>

# ORATIO HARVEIANA.

---

QUUM mihi, pro more solenni, apud hunc cœtum tam humanioribus literis quam scientia illustrem, disserendi munus delatum sit; paulo equidem cunctantius in hanc arenam descenderim, nisi pro comperto habuerim, quemque, ut doctissimum, ita in literarum studiis decernendis, facilissimum sese arbitrum mitissimumque præbere. Minime sane ita a natura comparatus sum, ut id scilicet mente conciperem, me novum aliquod et inauditum omnino, si Diis placet, quasi de proprio penu posse conferre, quod aures vestras

eruditas, vel disputationis gravitate, moretur, vel sermonis dulcedine alliciat denique et permulceat. Neque enim tale aliquid instituti nostri ratio postulat; neque sane, in hujusmodi argumento, cuivis, disciplinæ artibus vel maxime florenti, id tandem sperare licet; cum tot tantique viri, doctrinæ atque ingenii luminibus ornatisimi, nullas fere orationis hujusce partes non explicaverint—nullas acuminis vires in hacce quæstione non feliciter intenderint—nulla denique antecessorum nostrorum merita ante ora omnium non dilucide ostentaverint.

Quod autem pro viribus suis potuit Orator vester, id demum effecit; neque segniter vobis-  
cum agens, neque negligenter. Obnixe scilicet  
instanterque laboravi, ut quæ moribus nostris  
dictu præscripta sunt, ea omnia perspicue,  
decore, graviterque exponerem; neque lenocinia

verborum curiosius insectans, neque orationis ornatum, si qui forsan aderit, fastidio quodam inurbano respuens et rejiciens.

Oritur autem in ipso operis limine difficultas quædam, neque quo me convertam vix habeo compertum. Ubi omnes sunt meritis laudibus co-honestandi, dubitandum quidem sit, unde demum incipiamus, aut quo duce oratio nostra exordiatur. Rem vero mihi perpendenti iniqua sane et ingrata videtur ista ratio dicendi; si indagatione facta quinam Societati nostræ maxime profuerint, eos ante alios laudibus prædicemus, neque potius, quo quis annorum serie prior extiterit, eum prius solenni nostro præconio, pietatis reverentiæque ergo, quasi seniorem prosequamur.

Hancce igitur normam secutus, priorem vobis propono, optimum illum virum, THOMAM

LINACRUM, domus nostræ Fundatorem pariter, de-  
cusque egregium. Apud nos semper ejus laudes  
manebunt, qui fortunam rerum nostrarum artis-  
que nostræ, tum plane apud Anglos jacentem,  
ruderibusque obrutam, evexit primus, condidit  
atque stabilivit;—corruentis medicorum civitatis,  
summus ille Vindex atque Stator. Neque hunc  
honorem temere nimisque effuse illi additum  
credatis, auditores, quum in animo habeatis,  
quibus quantisque beneficiis fruimur ex ejus la-  
boribus. Ita enim post illius tempora Ars me-  
dica apud nos Anglos floruit, ut, ratione ad rem  
totam habita, Historia humani generis nihil si-  
mile vel secundum apud ullam gentem, per  
omne ævum, quasi exemplum tradiderit. In  
nulla enim alia regione vel fando quidem audivi-  
mus, ubi artis nostræ honos adeo invaluit, sive ad  
Scientiæ ipsius incrementum, sive ad dignitatem

eorum hanc artem exercentium, sive denique ad ea debita laborum nostrorum munera respiciamus, quos in communi hominum salute nocte dieque invigilanda semper perferimus. Hæcce omnia beneficia THOMÆ LINACRO debemus, quæ solenni laudatione jure meritoque prædicare solemus, quasi pii filii clientesque observantissimi, Patris nostri Patronique venerandi.

Quæ de LINACRO cæterisque benefactoribus nostris patrata sunt, quamvis omnibus sint nota, oportet tamen secundum morem præscriptum paulo fusius distinctiusque commemorandi causa exponere.

Petente LINACRO, lex sub HENRICO octavo lata est, ad instituendum scilicet et designandum Medicinæ Doctorum ordinem, qui omnibus hanc artem exercentibus intra Londinum et circum circa septem millia passuum, auctoritate summa

præessent; et omnium etiam, qui artem professi  
per Angliam dispersi fuerint, studia eorum  
percontarentur.

Natus est medio ferme quintidecimi sæculi  
noster LINACRUS. Cumque apud omnium ani-  
marum Collegium, Oxoniense, operam studio  
literarum dedisset, profectus est Italiam, ut iis  
artibus se ornaret perfectius, quibus locum inter  
viros humanioribus literis claros, quem vehe-  
menter appetebat, obtineret. Regressus deinde  
Italia Oxoniam domicilium sibi elegit, Medici-  
næque Professor in hac Academia factus est. Unice  
florebant vir egregius studiis Græcæ Latinæque  
linguæ, et in quocunque artium genere, quæ ad  
Scientiam Philosophiamque attinent, insigniter  
doctus censebatur.

Tali tantoque viro, tam animi e natura dotibus  
quam artibus acquisitis excellenti, intra angustos

Academiæ limites, et in umbratilis vitæ otio contineri et torpere, non diu concessum est. Mandato igitur regio ab HENRICO septimo, Londinum accersitus est, qui non solum suam, familiæque salutem ei commisit, Filium vero ipsum illi in manus tradidit, ut ab eo bonas literas artesque edisceret. Ex hoc satis cernatis, quali Rex eum in gratia habuit, quantumque eum ut fide, moribus, literisque commendatum suspexit. Nec minori in pretio fuit apud HENRICUM octavum et EDWARDUM sextum. Ab HENRICO octavo id gratiæ consecutus est, ut huic Collegio privilegia cederentur, quæ nobis ad commoda nostra promovenda reliquit. Hæc omnia servare, curare, defendere, qua fide, qua religione obstringimur ! quam nostra ipsorum dignitas urget ! quam pia benefactoris memoria commovet !

Primus huic, quam suam dicam, Societati

præses fuit LINACRUS, officiumque diu hoc præstit, ut talem virum decuit, in salutem publicam semper intentus, prudentia summa, indefessa industria. Diem obiit anno millessimo quingentesimo et vigesimo quarto.

Proxime gratam recordationem laudemque ob beneficia in civitatem nostram collata, promeritus est JOHANNES CAIUS, natus ineunte sæculo sexto-decimo. Cui, amantissimo sane hujusce Societatis, nec diligentia, qua literas assecutus est, nec ingenii acumine, ipsum vel Linacrum anteferendum credo. Ratio, quam sibi in ineundis studiis ascivit, adeo cum ea, a Linacro prius habita conveniebat, ut ad egregium istius viri exemplar videretur omnino respexisse. Apud Aulam Gonvillii liberali omni eruditione doctrinaque juvenis institutus, ipse quoque Italianam postea profectus est: Ibi summos, ea ætate,

philosophiæ et medicinæ doctores discendi causa frequentavit, quos cum assidue audiendo, mentem omni humanitate locupletaverat, domum in suam Academiam regressus est. Hic literarum et philosophiæ recondita et incognita scrutatus est, et si quæ luce digna delitescere vidiit, ea ab obscuritate in apertum vindicavit.

Evasit deinde eruditorum patronus, benignus admodum et munificus: utque isti societati, qua rudimenta doctrinæ acceperat, benevolentiae vices rependeret, a Regina MARIA, apud quam plurimum valebat, exoravit, ut redditus Collegii sui augerentur, idque etiam propria munificentia ipse ditavit. Collegium ita a Gonvillio fundatum, et a CAIO tanta munificentia auctum, socii laudanda pietate insigniverunt nomine utriusque benefactoris.

At CAIUS non diu in secessu Athenarum

suarum commorabatur, quippe Regis mandato,  
Linacri instar, Londinum accersitus, nostræ  
Societati ornamento simul erat et præsidio. Ipse  
quoque jurum nostrorum tutor bonus et acerri-  
mus propugnator, nihil non pro iis periclitandum  
esse censuit: quin causam pro auctoritate Col-  
legii contra invidiam et petitionem alienorum,  
ipse publice et feliciter defensitavit. Adeo li-  
terarum laude claruit, ut nullos in eo quo vixit  
seculo doctrina insigniores, paucissimos vero  
sibi æquales habuerit. Quam Græcam ac La-  
tinam linguam scite admodum, cumulateque in-  
tellexerit, satis patet ex interpretationibus, com-  
mentariis, librorumque numero ingenti, quos  
incudi redditos, dilucideque emendatos reliquit.

Pergamus jam ex Caio ad GOULSTONUM, virum  
sane ob illata benefacta, dignissimum, qui a  
nobis collaudetur. Hic, cum apud Academiam

Oxoniensem literis et omnibus disciplinis sese applicuisset, quumque postea ad Medici munus obeundum paulisper se in rus recepisset, Londonum profectus in Collegium nostrum cooptatus est. Qua autem benevolentia ac quo cultu rem-publicam hanc nostram complexus est, quaque servandam fide dignitatem censuit, satis a legato morientis ostensum, quod cum Medicæ facultatis ad bonum commune spectet, commodis quoque Societatis hujusce privatis liberaliter consulit. Legatum erat summa pecuniæ pro istis temporibus, ampla, unde vectigal annum oriretur, quod et ad instituendam, et in Collegio habendam, singulis annis, Pathologicam Prælectionem collocaretur. Nec commodi, solidi scilicet et diurni, quod ex hoc legato proflueret, vana fuit expectatio: hæ enim Prælectiones amplissimam materiem suppeditarunt, qua ingenii acumen doctrinæque

copia in apertum sese protulerunt, quæ forsitan, hoc incitamento amoto, perpetuis tenebris dilituissent.

Hi, quos memoravimus, viri sane præstantes, suis sæculis omnes claruerunt, gloriāmque Societatis nostræ tum vitæ suæ constantia, tum doctrinæ fama, magis magisque auxere: quamvis autem Medicam civitatem adeo ornaverint, morum castitate, fælicique humaniorum artium cultu; vix tamen apud eos reperire licet notabile aliquod in arte Medica inventum, quod scientiæ istius limites longius produceret.

Ecce vero tandem, post longam illam et caliginosam Anatomiæ noctem, HARVEIUM nostrum, virum sane admirabili quodam veritatis ardore flagrantem, incredibilique fere indagationis patientia imbutum, qui legem animalis œconomiæ summam principemque primus in diem protulit,

claraque luce perfudit. Hinc omnium consensu Immortalis HARVEIUS nominatus est, meritoque iis majorum gentium hominibus ascriptus, qui humanum genus inventorum gloria illustraverint.

E schola discedens, quæ apud Doroberniam fuit, transtulit se in Collegium Gonvillii et Caii, Cantabrigiense, exitu ferme sæculi decimi sexti. Postea pro more istius temporis, Italiam Germaniamque iter fecit, ut illustrissimas scientiæ scholas viseret, cognitionisque suæ limites ampliaret. Sed ut utilitatem Prælectionum, a Patronis nostris institutarum, ostendam; observatu dignum videtur, HARVEIUM, cum a Collegio Prælector designatus est (ad eas scilicet prælegendas, quæ a Domino Lumleio et Doctore Caldvallo fundatæ fuerant) tum primum quædam, ea vero quasi dissimulanter minusque aperte, de

nova sanguinis doctrina, protulisse, quam postea  
plane pleneque promulgavit.

Hoc vero inventum, quamvis summa HARVEII  
diligentia experimentisque elaboratum, atque  
etiam collegarum suorum ex novem annorum  
probatione commendatum, iniquissimam sane  
indignissimamque sortem apud populum tulit,  
qualem heu! scilicet tales tantique viri in simili  
causa saepius pertulerunt. Tantum enim aberat,  
ut exinde plausu publico undique gratularetur,  
fama fortunaque adactus, ut e contrario ab in-  
vidia maligni populi se suaque prægravari sen-  
tiret, præmiis, quæ quondam artis aderant,  
spoliatus, aculeisque etiam obtrectationis laces-  
situs et confossus.

Comperit vero HARVEIUS “invidiam supremo  
fine domari,” et quod rarissime viris magnis  
accidit, ipse videns vivensque. Inventum suum

de sanguinis circuitu, primo quidem adeo acerbe maligneque tractatum, per omnes Europæ gentes, comprobatum denique acceptumque, ipse adhuc in vivis manens conspexit.

Eas vero injurias, quæ virum optimum tantopere urgebant, quasque alii fere omnes adeo graviter molesteque ferre solent, æquo animo moderatoque passus est HARVEIUS, neque de iniquo hominum sui sæculi genere minutule queritans, neque adversariorum convicia morose redarguens. HARVEIO nostro, si cui alii, ea inerat, opinor, sapientiæ constantiæque vis, quæ, ut quisque fuerit præclariori ingenio, eo scilicet præclarius elucere soleret.

Qua caritate complexus est Societatem nostram, et quo studio dignitati ejus consuluit, ex donis, quoad vixit, legatisque, quando decessit, satis est in aperto. Ex HARVEIO fit, ut hæcce

eruditorum corona Lyceum nostrum hodierno die exornet, neque aliud sane, Auditores, ad dignitatem vel diei vel loci deesset, quam ut copia Oratoris vestri orandi copiæ sufficeret. Mortuus est HARVEIUS anno millesimo, sexcentessimo, et quinquagesimo octavo; ea, qua vixerat, constantia. Vultu erat hilari, mente pura integraque, moribus castis, urbanis, jucundisque, affectuum sordidiorum nescius, neque invidia tactus, neque iracundiæ obnoxius.

Sed cum me spatiis dicendi iniquis inclusum, multosque viros præstantes, qui præconiis dignissimi sunt, ne nominatos quidem prætermittere coactum, videam; accedamus jam ad hominem philosophum et bene literatum, FRANCISCUM GLISSONUM. Ille humanitatis literis apud Caii Collegium instructus, perfectis studiis, Academiæ Regius Professor institutus est, quod munus

quadraginta annos perhonorifice gessit. In numero erat paucorum eorum sed illustrium virorum, qui id temporis, Londini conventus agere singulis hebdomadis solebant, ut Physicarum rerum culturam et cognitionem studiosius promoverent. Ab hac origine, Regia Societas, medio ferme sæculi septimi-decimi, constituta est. Cum vero ex hac domo, tanquam artium ingenuarum et philosophiæ officina, tot tantaque profluxerint commoda; ea, quæ GLISSONO laus est, non est silentio prætereunda: Ipse enim cum suis, fundamenta Societatis adhuc forma adumbratæ jaciens, tandem vidit eandem Societatem expressis signis formatam, Regiaque auctoritate stabilitam.

Ea, quæ dixi, satis indicant GLISSONUM rei literariæ et philosophiæ plurimum juvisse, nec minus in Medicinæ scientia amplificanda

diligentem utilemque sese præbuit. Nam in dissertatione sua de Rachitide primus omnium ad Anatomiam confugit, unde morbi genus et progressus, morte modo obita, detegerentur. Certior per hæc indicia morborum fides est—apertior eorum status—sanandi ratio adhibetur clarior atque securior.

Jam equidem quosdam memoravi, quorum cura defensa, beneficiis aucta est, hæc nostra domus, qui eam jam nascentem summa indulgentia fovebant; et quorum laboribus debetur, ut multa de Anatomia et Physiologia investigata et luculenter exposita in manibus habeamus. Quanquam autem hisce viris, doctrina varia præstantibus, una cum antiquis illis artis nostræ magistris, incumbendum sit, quasi fulcris quibusdam ad condendam stabiendi damque cognitionem discentium; tamen multo gravius,

difficilisque laboris genus ei subeundum est, qui ad nomen Medici suspirat, artem suam tractaturi secure, prompte, feliciter, præclare. Improbum quidem illum laborem! sine quo sane neque librorum lectio, neque auditu prælectores vel hilum proficiunt. Medici enim est omnia morborum genera, eorumque omnes gradus, tum separatim, tum conjunctim existentia, infinitaque fere varietate sese præbentia, iterum iterumque suis ipsius, quasi Lyncei, oculis penitus introspexisse. Illius est indefessa sedulitate, solertiaque semper vigilante, ægrorum lectulis inhiare—mutationes morbi jamjam nascentes detegere et prospicere—occiones denique omnes, eo ipso temporis articulo, quo summum illud vitæ periculum inest, arripere et quodammodo etiam prævenire.

Præ omnibus recentiorum SYDENHAMUS noster hancce veri Medici gloriam adeptus est, eamque

gloriam promeruit: ab iis, quæ in arte vocantur mysteria quædam, altiorisque scientiæ, si Diis placet, quam maxime abhorrens, omnia ad naturæ principia retulit, ad normamque rectæ rationis communisque istius, qui dicitur, hominum sensus, revocavit. In verba nullius magistri addictus jurare, opiniones moresque priorum receptos parum curans, ipse fortiter, caute tamen vigilanterque suis oculis—suis sensibus morbos scrutabatur, remediaque illa adhibebat, non quæ a Theoreticæ artis Doctoribus decantata audierat, sed quæ ab experientia probata ipse valida cognoverat.

Ab ista illusione, plusquam magica, quæ rerum nomina mentis visum obfuscant, sese expediens, res ipsas Ipse inspexit, earumque discrimina sub eodem nomine latentia mirifico quodam acumine detexit et distinxit.

Dissertationes, quas de Febrium, eodem anni tempore nascentium, diversis annis, diversa natura scripsit, hanc acuminis vim plenissimo testimonio confirmant, neque in iis etiam desideramus sermonem eum rotundum, copiosum, fortis, vividum, quo maxime illustrari solet et commendari veritas.

SYDENHAMUS, si quis alias, apud nostram civitatem, quasi Fundator novæ Medicinæ scholæ, cordatorum omnium tam populi quam professorum laudibus, summo jure audire meretur. Ex eo novus ordo Medicorum processit, qui felicissima medendi ratione artem exercere didicerunt, qui scriptis æque moribusque receptis plane omnia, infucate et simpliciter tractarunt, quique ea, ad veram Scientiam, commodumque ægrorum pertinentia, solummodo spectantes, magnasque nugas magno conatu dicere

dedignantes, vana omnia et futilia respuere, et rejicere sunt ausi.

Quosdam leviter perstringere invitus cogor, viros sane meritis spectatos probatosque, qui vel scriptis suis honorem, vel legatis emolumendum, Societati nostræ contulère; quales sunt MORTONUS, CHEYNÆUS, FRIENDIUS, ARBUTHNOTTUS, GARTHIUS, RADCLIFFIUS, multique alii viri notabiles, quorum memoria pie et grate semper nobis colenda est.

MORTONUM vero præterire non possum, quin prius ejus scripta diligenti studentium lectioni impensius commendem. Medicamenta, quæ vim vitæ, debilitate et inanitate fractam, sustineant, quæque Archei spiritum, qui dicebatur, languidum jacentemque excitent reficiantque, ipse omnium, qui hac methodo usi sint, fæliciter præcipuus adhibuit. Casus, quos narravit,

luculenter admodum, accurate, docteque ad vivum expressit. Dissertationem, quam de Proteiformi Febris intermittentis genio scriptitavit, materia gravis ponderis refertam esse censeo, dignissimamque quæ iterum etiam iterumque in observationem examenque revocetur.

Jam vero, Auditores, ad virum accedamus hinc inde illustrissimum, magni nominis Medicum RICHARDUM MEADIUM. Summa familiaritate conjunctus est cum primoribus sui temporis, et quod longe præclarus est, cum isto Magnatum ordine, Newtono, Halleio, cæterisque omnibus prioris seculi heroibus, quales forsitan nunquam terra tulit, neque feret unquam in annis. Adeo fama per totam Europam claruit, ut nullus esset exterorum in Angliam migrantium, vel dignitate vel literis insignior, qui non ambitiose MEADII colloquium affectaret, exitumque itineris infælicem

fere duceret, nisi MEADII domum intrasset tum scilicet cunctorum melioris notæ frequentia celebratam, omnibusque artibus elegantiisque abundantem.

Quæ de morbis eorumque indiciis remediisque scripsit MEADIUS, eam sagacitatis intellectusque vim in notando, explorando, distinguendoque exhibuit, quali scilicet ii, qui in nostra arte sunt principes, soli pollent. Quod ad rationem dicendi, quæ MEADIO quasi propria aderat, nemo est, qui non in eo agnoscat orationem puram Latinam, Gratiarum omnium Venerumque plenam.

Accedo jam, Auditores, ad virum charissimæ apud vos memoriæ, quem et prius et præsens sæculum sibi vindicat, quem et insigniores viri prioris ætatis, juvenem, quasi præclara prominentem, amare, nos, senem, præclaris omnibus

perfunctum, venerari solebamus, HEBERDENUM nostrum! Eum, juvenem, magni fecerunt Middletonus, Taylorus, Marklandus, et quicquid tum erat eruditæ gentis, ob singularem ejus animi candorem, morumque suavitatem, necnon ob exultum illud politumque ingenium, quo studia humaniorum literarum adeo impense amplexus est, quoque delicias vel Romanæ vel Atticæ elegantiæ adeo scite percepit.

Eodem, quo dies cœperat, honore ad extremum longæ vitæ finem floruit fortunatus ille, venerandusque senex!—semper in ore omnium clarescens, quasi Dilectus sui seculi Iapis, quasi artis suæ magister, quasi eruditionis omnis amantissimus, ipse omni eruditione ornatus.

Aureum nobis libellum reliquit HEBERDENUS, in quo nihil e scriniis aliorum compilatum videmus, sed in quo ipsum solum auctorem

eiusque mores conspicimus. Quæcunque ipse per totam vitam, ex morborum observatione, ipsis ægrotis interpretantibus, experiendo suis oculis cognôrat, et in tabulas semper referens considerat, ea omnia ad finem vitæ collegit, et publice exposuit.

Huic libello, ut id uno verbo dicam, singularis quædam laus adest, quam vix alii ejusdem generis operi adeo propriam esse existumo, nempe, nullum fere esse hujusmodi scriptum, in quo versando Tyrones adeo tute et secure possint incedere, per viasque minus dolosas, minusve erroris deceptusque periculis obnoxias. Neque causa sane hujusce rei omnino latet. In eo nempe viro summa est fides, summa auctoritas, pura, incorrupta, intaminata. In eo etiam inerat summa animi moderatio, viro philosopho digna, ut neque nova omnia ardentius

aucuparetur, neque antiqua omnia fovendo retineret. Ab eo, quicquid vel hilum saperet Theoreticam artem, quæ semper aliquod vel sperat vel timet, quam maxime abhorrens, haud solum ea non notavit, quæ non vidit, (quod nec in aliis suspectum habeo) sed etiam nihil ex iis, quæ revera vidit, reticuit; neque spe hoc vel illud videndi arrectus, obscuriusculum id, quod vix aut ne vix quidem vidit, quasi visum narravit.

Scio equidem atque defleo humanum esse in hac causa errare: HEBERDENO autem id detur altiori voce præconium, neminem nostræ gentis esse repertum, qui huic hominum errori minus sese obnoxium præbuit. In scribendo is erat sermo, qualem in literato viro expectare licet, composite apteque paratus, doctus, comptus, nitidus, leporis etiam cujusdam sale subinde

conditus, quo fiduciam istius hominum generis perficere videtur, qui nihil tam turpe quam dubitare existumant.

In nostra tempora jam progressa est Oratio, et hic quidem me piget doletque memorare, duos hujusce domus Socios hoc anno morte abruptos esse, et caros nobis et amantes nostrum—**TURTONUM** et **GISBORNUM**. Qua vero æstimatione et ab hoc Collegio et ab omnibus habitи sint, satis ostendunt ii honores, quibus publice a patria, private a nobis amplificati sunt. Utrique Regis salus commissa est, et utrumque favore suo Rex respexit. Hoc solatii in tali casu fereendum est, eorum vitam, ultra quam fere homini datur, productam esse, eosque tandem interiisse Regis fide et munificentia potitos, observantia patriæ, sociorum amore.

Beneficiis **GISBORNI** nos devinctissimos esse

existumo. Præfuit huic Societati per multos annos, egregia sibi laude, et integritatis suæ opinione; postremo, ut eam, qua hanc Societatem coluit, benevolentiam ostenderet, testamento multos libros precio carissimos nobis legavit.

Majorum laudes fusius vobis exposui, ut exemplis talibus accensi ad eorum gloriam ipsi aspirando attingeretis, et si quos, memoratu dignos, inornatos silentio præterivi, non ideo quod vellem feci, sed ne aures vestras obtundarem, jamdudum etiam, ut metuo, nimis prolixa oratione plus æquo gravatas. Inter officia, quæ ab exemplis antecessorum discimus, id sane permagnum est, ut honores ab iis receptos, juraque omnia atque privilegia a Regio favore condonata, ea qua ipsi fortitudine, nos quoque pro virili defenderemus.

Quis vestrum ignorat, alienorum hominum

consessum habitum esse, novis consiliis, nova audacia erectum, ad reformandam, ut aiunt, vel potius evertendam eam Medicam disciplinam, quæ in hac nostra domo per tria secula feliciter constituta est. Immo eo processit hæcce rerum novarum cupiditas, ut consulerent de petitione Senatui inferenda, ad inceptum suum lege sanciendum. In tali causa ubi is vestrum inveniatur, qui non ad arma currat?—Quis non clamet “Stet fortuna Domus,” clamandoque pro salute nostræ reipublicæ propugnet? Anne antiquam illam Majorum domum, quæ talem heroum progeniem quasi in gremio aluit, dirui tandem et collabi patiemur? Uno animo statuimus omnes, pugnandum esse pro hac nostra patria—asserenda quæcunque sunt jura—vindicanda privilegia—tenendosque mores a patribus receptos. Neque deficiunt nobis periti viri amantesque

nostrum, qui causam, contra hostium insidias, advocati tuebuntur: quinimo etiam et duce gloriamur, huic nostræ civitati Præfecto, quem nullæ rerum angustiæ exanimant, nulli labores fatigant, quem in consulendo gravissimum, in agendo promptissimum esse cognovimus.

Quanquam certis quibusdam præscriptisque finibus hujusce Orationis præconium concludatur, non possum quin, extra terminos paululum evagando, vobis proponam rem nuperrime exploratam, quæ, si firmo nitatur fundamine, omnibus aliis inventis longissime præcellit, qualia e primordiis rerum ad hominum conditionem sublevandum unquam fuerint excogitata.

De auctore hujus inventi, celeberrimo viro JENNERO, præclara omnia licet prædicare. Clarescit JENNERUS, quasi vir singulari animi candore, modestiaque præeditus, industria plane

indefessa, nihil actum reputans, si quid adhuc superest agendum; in privatum parum, in commune unice consulens, nulos non labores subeundos dicens, si ea undique obstantia, quæ præclaris omnibus inventis usque jecerit pravorum invidia, fortitudine tandem constantiaque superet.

Hoc pro certissimo opinor, apud omnes paulo æquiores cordatiioresque viros constat, paucissima esse exempla, si quæ forsitan fuerint, certa et indubitata auctoritate firmata, quibus hocce inventum spem fefellit. Neque id etiam ulli, ut opinor, latet, scripta contra hoc inventum ubique exstare, effrænata quadam audacia publice venditata, quæ dolos omnes præstigiasque præ oculis populi ostentant, ut mentem publicam captent, illusionibusque decipient.

In his scriptis, ita callide vera, ad hanc causam

nihil pertinentia, cum falsis miscent, ut non modo incautos laqueis suis irretiant, sed prudentes solertesque etiam confundant, quorum scilicet summa diligentia vix sufficit ad fraudem adeo vafre implexam plene aperteque evolwendam. Gratulor tamen hominum generi, eam quasi magnam Humanæ salutis causam in hac curia tandem agi—vobis judicibus decernendam in perpetuumque denique componendam. Vobis judicibus, veritas, quomodocunque sit fraudibus dolisque obscurata, luce perfusa patebit. Vestra auctoritate confisa, mens Publica, jam timoribus dubitationibusque turbata, conquiescet. Inventum, vestro decreto damnatum, in desuetudinem subito abibit; confirmatum, ratum semper manebit, fixum et stabilitum; æternum quasi artis nostræ monumentum, quæ dirissimam pestem, humanum genus undique vastantem, tanta clade profligare potuerit.

Quum hanc talem tantamque victoriam in animo contempler, eam scilicet, quam priores nostræ gentis heroes ne cogitando quidem unquam affectaverint, spe—expectatione—fiducia nescio qua fatidica, arrectus effror, Auditores, quæ a vobis gesta sint, videns, quæ gerenda, augurans:—Novos vestrum neque adhuc auditos triumphos mente lætus concipio, quos futura sæcula nova laurea ornabunt novisque honoribus extollent.

### F I N I S.